Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2703
Quelle:
Copyright:

Heisterwach qui dicitur Auditorium monachale. Ad petitionem Monachorum quorundam *Cisterciensium*, ut praevie dicitur, ad confessiones audiendas deputatorum conscriptus *tribus* Partibus absolvitur, quarum Prima *de auctoritate seu potestate monachis concessa confessiones audiendi*, Secunda *de modo et potestate confessos absoluendi*, Tertia *de modo et qualitate absolutis satisfactionem et penitentiam imponendi* tractat. Articulus I. inscribitur et incipit: *De potestate monachi confessiones audiendi persone abbati subiecte. Primo sciendum est quod si aliquis monachus debeat uel uelit* &c. *Johannem* hunc nec in *Biblioth. Cisterc.* nec apud *Fabricium* reperi, neque *Bucelinus* Abbatum *Heisterbac.* Seriem offert, sed *Gallia Christ.* T. III. *col.* 793. ubi inter tres *Johannes* nihil discernas.

III. *fol.* 53. p. 2. *Epistola petri damiani ad plancam comitissam que dicitur speculum peccatorum.* Initium: *Fratres mei karissimi anima exibit de corpore sed non sponte sed cum magno certamine* &c. T. III. edit. *Opp. Petri Paristis* 1642. f. habetur *Opusculum* numero L. inscriptum *Institutio Monialis ad Blancam Comitissam*, cujus *Caput* 6. si rem spectes, quodammodo cum praesente sic dicta *Epistola* congruit, sermo tamen prorsus abit.

IV. *fol.* 57. resumuntur *Sermones* sacri, quos inter non pauci ad *Reuerendissimos* aut *Reuerendos Patres ac Dominos et Fratres in Christo* diriguntur, ut adeo in Conventu quodam Abbatum, fortasse capitulari, habitos putem, et quidem *Benedictini* Ordinis, cum Orator non semel *Benedictum* compellet *Patrem nostrum* et *Legislatorem nostrum*, quamvis et *Cisterciensis* esse possit, cum eodem *Patris nostri* vocabulo etiam *Bernhardum* notet. In priore casu fieri posset, ut *Joh. Trithemium* autorem haberent *Sermones* saltem aliqui in hac Collectione contenti.

V. *fol.* 201. *De quadruplici ordinacione que debet esse in homine.* Opusculum perfectae Vitae monasticae normam adumbrat e *Bernardo* et aliis. Quadruplex illa Ordinatio est *Considerationis*, *Affectionis*, *Negotiorum* et *Pugnae spiritualis.*

VI. *fol.* 225. *Incipit Dyalogus vel duellum rationis et conscientie ad communionem editum a reuerendo patre Theologye professore magistro Matheo.* Adde *de Cracovia* rectius *Crocovia.* Initium: *Multorum tam clericorum quam laycorum querela non est modica* &c. Agit de frequentatione Sacramenti Altaris, ut pluribus *Cod.* DCXXXVII. Ad calcem hic *Matthaeus* audit *Magister facultatis Pragensis.*

VII. *fol.* 251. Tractatus ἀκεφαλος et ἀτελης asceticus, cujus C. 2. agit *de vera humilitate*, hoc initio: *Uerum quia defectus proprios cordis oculo contemplanti necesse est vere humiliari* &c. Quae e C. 1. restant, suadent eo de Cognitione sui ipsius agi. Ad aliquam *Famulam dei* dirigitur a quodam

Ord.